



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

§. 5. De Reo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

Tertium est, causa legitima & rationabili deficiente nemini unquam fas esse ( ut docent suprâ citati authores & alij Theologi communiter ) verbis ambiguis aut æquivocis vel mentali restrictione interloquendum uti: aliàs usus, in quem instituta sunt verba, preverteretur; & omnis colloquiorum & sermonum certitudo; adeoque omne humanum commercium, & fructus civilis ac Christianæ societatis tolleretur; semperque inesset ratio suspicandi dolum aliquem in verbis latere, & ambiguitatem, & mentalem restrictionem subesse.

§. V.

De Reo.

TRIA præsertim circa obligationes rei quæri possunt. Primum est, utrum teneatur fateri veritatem, quando à iudice interrogatur. Responsio facilis est ex dictis parag. præc. si enim à iudice legitimo interrogetur secundum formam iuris, tenetur verum respondere: è contrâ si iudex legitimam non habeat potestatem, aut formam iuris non servet; id est si infamia non præcesserit de crimine de quo fit interrogatio, aut saltem illius criminis semiplena probatio, vel indicia sufficientia non suppetant; tunc respondere ad interrogata non tenetur: quod si à iudice cogatur ( quod, tamen sine peccato facere non potest ) nec ab illo per appellationis viam declinare possit; tunc poterit respondendo crimen occultare ac tegere eodem modo, quo præc. parag. explicatum est. Observat etiam Tol. l. §. c. 78. simili ratione reum non teneri ad complices suos revelandos, nisi illorum infamia aliqua præcesserit; id est nisi ex fama constet illum socios habuisse; vel quando crimen tale est, ut sine socijs non committatur: quod etiam docet Less.

Secundum est an licitum sit reo ad superiorem iudicem appellare. Responderet S. Doctor id ei licitum esse, si causam suam iustam esse confidat, vel se ab inferiori iudice

2 5. grava-

gravatum esse arbitretur; illicitum verò, si appellatio fiat solum ad moram afferendam, ne vel iusta sententia feratur, vel si lata est, executioni mandetur, ut habetur cap. omnino 2. quæst. 6.

Tertium est, utrum reus condemnatus possit se per vim defendere, ne sententia in eum lata executioni mandetur. Responder S. Doctor id licitum non esse, si iuste condemnatus sit etiam ad mortem: licitum verò esse, si sit iniuste condemnatus; dummodo tamen nullum inde scandalum, neque gravis aliqua perturbatio in communitate timeatur. Addit S. Doctor illum, qui ad mortem iuste damnatus est, posse licite fugere, si occasio se offerat; dummodo nullam iudici, vel eius ministris vim in eorum personam inferat.

## §. VI.

## De Advocato &amp; Procuratore.

SANCTVS Thomas 2. 2. q. 71. quatuor præsertim conditiones requirit in Advocato, quæ etiam servata debita proportione de procuratore intelligi debent.

Prima est, peritia, qua (ut dicit S. Doctor art. 2.) *possit convenienter assumpta causa iustitiam ostendere*: unde (ut dicitur Tol. 1. 5. c. 60.) si ex ignorantia in causa est, cur cliens causa alioquin iusta decidat, peccat, & damnum illatum refarcere tenetur: quod etiam similiter dicendum censet de eius negligentia.

Secunda conditio est, iustitia in exhibendo patrocinio: qui enim scienter iniustam causam defendit, absque debito graviter peccat (ut asserit S. Doctor art. 3.) teneturque ad restitutionem damni, quod pars adversa incurrit; nisi per clientem suum refarciatur. Quod si causa dubia sit, nec satis ex utraque parte iustitia dignoscatur, potest quidem eius patrocinium suscipere; dummodo paratus sit quam primum ab illo patrocinio abstinere, si in progressu litis eius iniustitiam deprehendat.

Tertia